

R.G. (cont'd.) IV no. 3.

ANNUS XXVII. NUM. 11. (313.)

MENSE IULIO A. 1943.



Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la Jeunesse

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1942-43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chéque) postalis in Hungaria: 57,292. — Laputajdonos: Katalikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumpitibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 18, (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. IV. 6. (tel.: 408-099)

LECTORIBUS MEDIIS.

Mulier Wartburgensis.

Liber Josephi Friderczky: Wartburg asszonya. Budapest, 1943. Szent István-Társulat. Pag. 332. Pretium. 5.60 P.

Fabulae huius iucundissimae summa et argumentum hoc est: Ex Thuringia hospites veniunt Andreae Hungarorum regis filiolam Hermanni Thuringiae principi filio Ludovico in matrimonium petituri. Convivium opiparum¹ apparatur. Post convivium civitatis proceres in consilium arcensuntur. Bánk ex gente Bör refragatur² huic matrimonio. Multis consultantibus, quem rex generum sibi eligeret, tandem reginā decernente filia Elisabetha Ludovico Thuringiae principi filio despondetur rege non invito. Quo facto profectio paratur filiolaque regia magno comitatu stipata et amplissimis dotibus cumulata in Thuringiam deducitur. Wartburgi Wolframo de Eschenbach duce et administrante magnifici apparatus fiunt ad hastilidum³ et certamen poëticum. Longo itinere confecto pompa tandem Isenacum⁴ peruenit, ubi a Ludovico honorifice excipitur. Wartburgi sponsalia rite celebrantur. Elisabetha, cuius virtutes et indoles insignis, mox laetissime efflorentes iam tum cernuntur, ibidem educatur. Elisabethae matrem Gertrudem obtruncatam esse nuntiatur. Erfordiae⁵ vehementi incendo conflato magna pars oppidi devastatur. Wartburgi certamine equitum hastis concurrentium edito⁶ equitibus lautissime convivantibus archiepiscopi Moguntini interdictum recitatur; quo audio Hermannus princeps irā ingenti percuti satque insano furore corruptus moritur. Post eius mortem Sophia uxor gubernaculum civitatis apprehendit. Ludovicus sollemnibus splendidissimis eques inaugurus in certamine singulari equitem Borussicum⁷ devincti devictoque equite civibus ius dicit. So-

phia, mater Ludovici, filii animum frustra a sponsa alienatura fallacias astute⁸ excogitas et consilia clandestina molitur, at Ludovici et Elisabethae sibi constantium fides omnino non labat, immo Ludovicus Elisabetham uxorem se ducturum esse praefracte⁹ asseverat. Elisabethae animi altitudo cum tandem de Sophiae malignitate triumphasset, Sophia recessit, et postquam Ludovicus et Elisabetha matrimonium rite ac sollemniter inierunt, in Hungaria proficiscuntur regem Andream visitantes. Elisabethae filiolus nascitur.

Rodegero monacho atris coloribus pauperum egestatem, miseriam, famem, morbum depingente domos¹⁰ pauperum squalore¹¹ rigentes¹² everrit et purgat, pueros et puellas lavat, cenan coquit. Conradus cum Elisabethae animi rector et moderator factus esset, Elisabetha poenitentia suspecta vestem¹³ cilicinam¹⁴ induit, et ob famem intolerabilem horreis regalibus aperiri iussis pauperibus cibaria et alimenta dispensat. Ludovicus forte ex oppido revertens Elisabetham egenis cibaria et dona in oppidum portantem cum quaereret, quid in gremio portaret, Elisabetha pavescens sinum vestis patetfecit, unde rosae recentes suavi odore fragrantibus¹⁵ in terram defluunt. Hedviga femina formosa, sed dissolutis moribus Elisabetham inimico odio insectatur. Honorius pontifex maximus nationes ad bellum Christianorum pro sacra terra a dominatione Muhammedanorum in libertatem vindicandam hortatur. Ludovicus quoque in terram sacram profiscitur, ubi mortem im maturam

¹ pompás = herrlich = magnifique ² ellenez = sich widersetzen = s'opposer ³ certamen equitum hastis concurrentium ⁴ Eisenach ⁵ Erfurt ⁶ rendez = veranstalten = arranger ⁷ porosz = preußisch = prussien ⁸ ravaaszul = schlau = astucieusement ⁹ hajthatatlanul = unheugsam = inflexiblement ¹⁰ nyomortanya = kleine schmutzige Wohnung = taudis ¹¹ szőrcsuhá = harenés Gewand = haire ¹² illatozó = duften = odorant

occumbit. Cum Henricus Raspe post fratri mortem ad gubernandam civitatem accessisset, Elisabetha ex arce Wartburgensi decessit nocteque procellosa profugens in cauponula¹³ sordida in stramento decubuit.

Ab avunculo Eckbert, episcopo Bambergensi tandem in domum suam recipitur. Elisabetha avunculo se in matrimonio collocaturo resistit. Ab equite Gualtero Wartburgum reducta in honeste et indigne habetur. Denique renuntians¹⁴ parentibus, fratribus et liberis, fortunis atque etiam suadente Conrado sua voluntati Marburgi dominium collocat. Hic residuum dotem inter egenos dividit. Elisabetha Bánffy, ut hac miserabili indignâ vita ratione abiectâ ad patriam luxuriam rediret, persuadenti pernegat. Elisabetha doloribus vehementibus perpessis sanctam animam expiravit. Circa sepulcrum multa et magna miracula fiunt.

Haec est brevis et ut ita dicam nuda narrationis complexio, in cuius telam¹⁵ versicolora subtemina¹⁶ intexta, ut: descriptions hastiludiorum,¹⁷ equitum sollemnes inaugurationes, aliaque instituta, vividaeque colloctiones, narrandi describendique vigor nobis mediæ aevi evidentem et lucidam imaginem repraesentantes huius libri lectionem, vix eloqui possumus, quam suavem et iucundam efficiant. Ne res merâ inventione et excogitatione fictae viderentur, auctor narrationis fontes, quibus usus est, enumeravit.

Car. Aes Bp.

¹¹ kurta kocsmá = Kneipe = cabaret ¹⁴ lemond = verzichten = renoncer ¹⁵ szövevény = Gewebe = contexture ¹⁶ fonál = Faden = fil ¹⁷ certamen equitum hastis concurrentium

Alexander Petőfi: Abitus.

Viz illuxit, iam vesper appetit,
Viz veni, et iam rursus abeo,
Te viz salvare iussi, et tibi
Iam dicere salutem deboe.
Vale, uxor mea pulcherrima,
Amor meus et lux et anima!

Poeta mítito, pro fidibus
Ensem sumit nunc dextera mea;
Septemtrionis fulgor dicit me,
Ducebat adhuc stella aurea.
Vale etc.

A te non abstrahit me gloria.
Beatis quod tenet rosas,
Caput meum nullam laurum capi,
Et non decero propter hanc eas.
Vale etc.

A te non abstrahit me gloria,
Scis illam in me pridem mortuam,
Pro patria effundam sanguinem,
Pro patria in mortem irruam.
Vale etc.

Si nemo patriam defenderet,
Est defendenda soli ferro mi;
Cum quisque procedū in aciem,
Manebo nunc ego solus domi?
Vale etc.

Non dico, ut recorderis tui
Pro patria pugnantis coniugis;
Primum versari me bene scio
In cogitationibus tuis.
Vale etc.

Forsan revertar mutulus, tamen
A te tum quoque dilectus ero,
Nam hercle! ut asporto, integrum
Meum amorem fidum refero.
Vale etc.

Latine reddidit Vinc. Bors Szegedinensis.

LECTORIBUS MINIMIS.

locosa et salse dicta.

1. Maxima pars hominum afflito¹ animo¹ Stephanum Széchenyi mente² captum² ess² audierunt. Sed, ut semper, tum quoque inventi sunt, qui de re dubitarent. Franciscum Déák, qui in amicorum circulo de ipsa re tristi loquebatur, Mauritius Perczel acriter interrogavit: «Putasne, Francisce, illum hominem vere mente captum esse?» Franciscus Déák quadam ille quidem indignatione,³ tamen solita suavitate respondit: «Tales estis vos, amici. Dum vir ille mentis compos fuit, male⁴ sanum⁴ esse dixistis; nunc vero, cum vere mente captus est, non creditis.» Haec verba tam accommodata⁵ fuerunt ad persuadendum,⁵ ut nemo amplius de re dubitaverit.

2. Maurus Ballagi animo⁶ distracto⁶ clarus fuit. Aequales⁷ vere factum esse autemant,⁸ ut cum studio litterarum iam admodum defessus esset, pulchrâ veste-indutâ domo discederet, ut caput recrearet et paulum cum aliquo amico sermocinatur.⁹ Iam longâ ambulatione defatigatus erat, neque tamen sciebat, quem viseret. Tandem: «Iam scio, inquit. Ibo ad Maurum Ballagi.»

Revera introivit in suum domum; sed cum in cubiculum intrare vellet, ianuam clausam invenit. Pulsat.¹⁰ «Quem quaeris?» interrogat quidam vir, qui idem petebat. «Maurum Ballagi quaero.» Ego quoque hoc ago.» «Expectemus igitur paulum, dum redeat.» — Quo modo res finem cepit, ignoratur.

Val. Fehér O. S. B. († a. 1942).

¹ leverten = niedergeschlagen = accablé ² megörül = verrückt werden = tomber en démence ³ boszúság = Entrüstung = indignation ⁴ bolond = verrückt = dément ⁵ meggyőző = überzeugend = persuasif ⁶ szórakozottság = Zerstretheit = distraction ⁷ kortárs = Zeitgenosse = contemporain ⁸ dicunt, affirmant ⁹ colloquere = ¹⁰ kopogtat = klopfen = frapper

LECTORIBUS MAIORIBUS

Systema stenographiae S.-is Taylor. (12)

Ad linguam lat. accomodavit I. C. Danzer Pesthini 1802.

Haec vero exercitatio in principio lenta, diligens tamen & accurata sit; dein ad consequendam majorem promptitudinem in exsequendis, quae hactenus praescriptae erant, regulis, eadem saepius scribenda sunt, semper tamen meditante & sollerter. Paulatim res evadet facilior; oculi, manus, & imaginatio signis consuescent; signa verbis congruent, promptitudinem feret usus. Valeat enim etiam in hac re, quod Quintilianus monet: *Cito scribendo non fit, ut bene; sed bene scribendo fit, ut cito.* Quod praeceptum eo magis commendatione

dignum videtur, quo magis adolescentes ad celester scribendum natura ferantur; unde non raro fit, ut laboris pertaesí animum discendi, spemque operis perficiendi omnem abjiciant.

Est alia praeterea scribendi exercitatio, quae nullo non loco & tempore, cum nihil potioris est negotii, adhiberi potest; dum ea, quae cogitamus, aut quae coram dicuntur, digito, quasi calamo, scribimus, ut auris manusque mutuum sibi promptumque praebere adminiculum condiscant. Cujus exercitii nullo, quantumvis occupato, die, aliqua nobis occasio deesse poterit. Hoc, quod monstravimus, iter strenue sequatur, quisquis ad summum artis fastigium contendit; minus arduum sane, quam imperiti aut laboris impatientes fortasse existimant, studiose namque rem tractanti, multa ultra se offerent subsidia, quibus haec compendiaria scribendi ratio, angustia temporis urgente, brevior redi queat: quamquam haec non tam praecipienda, quam ex ingenio & sagacitate cuiusvis scribentis depromenda sunt.

Accidit nonnumquam, ut in disceptationibus judicialibus, aut in eruditiorum controversiis, acris & incensi oratoris sermo tanta velocitate defluat, ut stenographus vestigia ejus paucissimis signis vix leviter attingendo persequi possit; immo temporis angustiis pressus, nonnulla memoriae committere cogatur. Huic vero non ita temere acquiescendum est, quasi sperari possit fore, ut omissa facile retineantur; quare ubi primum licuerit, praetermissa sollicite suo restituantur loco.

Aptissimum ad scripturam stenographicam instrumentum procul dubio esset pugillar, si hodie adhuc veterum more ceris uteremur; calami enim, quos scribendo adhibemus, molles admodum sunt facileque obtunduntur; & quod crebrius atramento tingi debent, scribentem distinent. Duriore calamo stenographus indiget, & quidem vel aureo, vel chalybeo. Omnia optimi habentur & platina confecti, quibus stenographi Galli utuntur, quippe qui in charta leniter decurrunt, neque acido atramenti soluti rubiginem trahunt. Est suum etiam huic generi scripturæ decus, quod tam e facilitate manus scribentis, quam e puritate instrumenti scriptori, proficiscitur. Ea enim scriptura stenographica elegans judicatur, quae faciliter literarum nexus, ductuumque aequabilis quadam subtilitate, tenuis instar fili, ex apice calami promanat atque decurrit.

§. VII. Methodus scripturam stenographicam legendi. Pars haec tironibus longe difficultissima, dulcissimos industriae fructus optatumque laboris praemium feret. Observanda est primum in lectione eadem methodus, inverso scilicet ordine, quam supra ad exercitacionem scribendi praecepimus; ut quae notis stenographicis conscripta sunt, literis communibus describantur, quin significacionis singulorum verborum ulla habeatur ratio. Hoc modo periodus aliqua descripta, attente relegatur; ubi demum ipsarum rerum ordo & contextus verum, cujusvis vocabuli sonum significacionemque declarabit.

Typo stenographicō exercitatione longiore magis magisque

perspecto, hac literis vulgaribus facta interpretatione signorum jam opus non erit: neque nisi fortassis in vocabulis quibusdam haesitaremus, illis immorandum est. Universus orationis complexus longius nos aberrare non sinet; quandoquidem e consequentibus facile dijudicari potest, num priora, quorum fortassis significatio ambigua est, illis convenient, an discrepant, quaeve eorum loco ponenda sint.

Ita nempe in oratione quavis cohaerent omnia, ut si verbum quodpiam alienum intersetueris, ea omnino mutila atque inepta evadat. Frequenti hujusmodi exercitatione efficitur, ut scripture stenographicae, perinde ac vulgaris, legendae facultatem nobis comparemus. Tabula IV. subjunxit specimen paulo luculentius scripture stenographicae, quod & legendi exercitium praebere, in rebus dubiis consilium afferre queat. His demum continuationem explanationis subjungere vixim est.

Continatio explicatio Tab. IV. Nam diviarum & formae gloria fluxa atque fragilis; virtus clara, aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam & prius, quam incipias, consulto; & ubi consulteris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigena, alterum alterius auxilio eget. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, ali corpus exercabant: et iam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero, quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii & Athenienses coepere urbes atque nationes subigere; lubidinem dominandi causam bellum habere: maxima gloria in maximo imperio putare: tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse. Quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello valeret, aequabilis atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari, ac misceri omnia cerneret. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia & aequitate lubido atque superbia

Tab. IV.

Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus,
summa ore nisi decet, ne vitam silentio transant veluti
pecore, quae natura prona atque ventri obedientia finit.
Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est. Animi
imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis
cum diis, alterum cum beluis commune est. Quo michi
rectius videtur ingenii quam virium opibus gloriam
quaerere, et quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est
memoriam nostri quam maxime longam efficeret.

invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti in cultique, vitam, sicuti peregrinantes, transgerez: quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam, mortemque iuxta aestum: quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere, atque frui anima videotur, qui aliquo negotio intentus, praeculari facinoris, aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

141495

Programma certaminis poetici ab Academia disciplinarum Nederlandica ex legato Hoeufftiano in annum MCMXLIV indicti. De carminibus duodecim ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit Carmen c. t. *Taedum vitae*. Sumptibus Legati in volumen recipietur carmen c. t. *Peregrina*, si poeta eius scidulae aperienda dederit veniam.

Sequuntur omnium carminum nomina: 1. *Peregrina*. 2. *Per aspera ad astra*. 3. *Tristia*. 4. *Redditus Catulli*. 5. *Novissima palma*. 6. *Aeneas in certamine pugilum victor*. 7. *Pastor angelicus*. 8. *Taedum vitae*. 9. *Manna*. 10. *Montes nostri*. 11. *Rhein*. 12. *Este arbor praebens lignum crucis!*...

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentative privata nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. A. MCMXLIVmittantur ad het Bestuur der Nederlandsche Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portable prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poetarum fieri

e < i v s g o n v r u v n
 2 7 2 e v o s s u v n b u y .
 v - o o v 2 e n e l b o u v n
 1 9 w o v y p . v e - z . v . v e
 c o ? 2 . v 2 e u v e n o l / b l c
 v - e o r f c t 1 2 + b l e r v ?
 o o n g b t h i v o u . i / v o s t o .
 v i l l t h u v b i g e l y n
 8 . l o l z v o c e o l e p + o v o
 h y o f , v g g n e l 2 z h
 o l l e . v u p b l u g e y g h u r e
 c - l u l e u . o b v . v i o v n o o .
 o o v e e . o l e r i - z v o . w g v e
 e p o i s p r u i g h b u r n i l o o o
 o o l . o o - f o r o v n n
 n o v u k y o o l e z o o l o t /
 v h o u z . v i o l z e n u v i o n v e
 v n y . o o . e l o s n z f e n e i v o
 v v e v - o v v h v . v o o l o o z y
 p o i n t . 1 8 0 1 3 . 2 8 0 . 6 . 4 9 . v y

C. Sallustii Bellum Catilinarium.



Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: Fr. Kohl jun.

solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato faciendis typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperienda venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1^o m. Maii A. MCMXLIII.

W. E. J. Kuiper
Ord. lit. acad. Nederl. ab
actis vicarius.

